



Hieronimus in Alsatia oppido Gebuiler natus, & (pro more eius seculi) à patria cognominatus est. Hac ratione Beatus Rhenanus, Erasmus Rotærodamus, atq; plures alij sua nomina sortiti. In eo loco cum Hieronymus prima rudimenta literarum posuisset, sese ad Basiliensem Academiã cõtulit, atq; artium & linguarum magnam sibi notitiam comparavit. Cum hoc modo sua eruditione omnibus doctis innotesceret magistratus Selestadiensis liberali stipendio eum ad se uocavit, atque post Cratonis Vdenhemij obitum suæ urbis scholæ præfecit. In ea tum erant adolescentes optimis ingenijs præditi, qui postea doctis uiris passim cõ-

numerati sunt. Itaq; Hieronymus hanc uocationem suscepit, atque suos discipulos in melioribus literis magna industria instituit. Erant tum inter eos quoque Beatus Rhenanus, & Iohannes Sapidus.